



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale,|| In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

XXVI. Vtrum possit Sacerdos peccatum, quod quidem ex Confessione, sed tamen etiam alia via ante, vel post Confessionem scit, ob caussas certas, & sine licentia confitentis reuelare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

*Caput VII. De Secreto seu Sigillo*

missio reuelandi Secretū, facit, vt definat esse  
materia Secreti.

*Quæstio  
XXVI.*

*Potestne Sacerdos peccatum, quod qui-  
dem ex Confessione, sed tamen etiam  
alia via ante vel post Confessionē sciri  
ob causas certas, & sine licentia  
confidentis reuelare?*

*Responso.* **Q**vando necessitas aut utilitas postulaue-  
rit, poterit Confessarius manifesta-  
re peccatum in Confessione cognitum, vna  
cū persona, si alia via illud cognouerit. Pro-  
batur, quia Confessor, extra Confessionem  
sciens crimen alicuius, si producatur in te-  
stem, aut à Iudice inquiratur, est obligatus  
ob publicam iustitiam dicere quod sciuerit.  
Igitur, si illud ipsum quoque sciatur per Con-  
fessionem Sacramentalem, siue subsequen-  
tem, siue præcedentem facti cognitionem,  
non minùs tenebitur à Iudice inquisitus, aut  
in testem productus illud manifestare; alio-  
qui Confessio esset vinculum iniquitatis, &  
impediendæ publicæ iustitiæ caussa.

**S E C V N D O**, quia fraus & dolus nemini  
debet patrocinari; patrocinaretur autem,  
si prior sententia esset vera. Patet, quia, si la-  
tro coram Sacerdote calicem, aut rem aliam  
suretur, sciens, quod, si illi Sacerdoti confi-  
teatur, non poterit super illo testificari; seu  
denun-

denuntiare adibit illico ad Sacerdotem eundem, & cōfitebitur illi furtū illud, iam fraus & dolus latronis illi patrocinaretur.

TER TIO, quia opposito dato, sequitur aliquid absurdum, scilicet, quod Prælatus, cui incumbit super adulterio, usura, aut concubinatu cognoscere, & illud in foro exteriore iudicare & punire, quod non posset aliquem talem criminosum per testes, omnī exceptione maiores, probatum talem iudicare, & sententiam cōtra eum ferre; supposito, quod ille Prælatus per Cōfessionem Sacramentalem ab illo criminoso factam, cognoverit eius crimen, de quo est in Iudicio conuictus. Patet sequela; quia in sententia contra illum ferenda debet declarare, illum esse tali criminē irretitum.

QVARTO, sequitur alia absurditas, quod, si Sacerdos vidit Petrum in loco profano fornicantem, de quo Petrus confitetur eidem Sacerdoti, quod Sacerdos videns Petrum ab aliis accusari, quod in loco sacro fornicationem commiserit, nō potest Sacerdos in excusationem illius dicere, quod nō in loco sacro; sed in profano est fornicatus, ipso Sacerdote vidente. Potest igitur, & aliquando debet Confessor crimen, per Confessionem scitum, prodere, si per aliam viam extra Confessionem illud cognouit.

Pro vitando tamen scandalō debet, quando id reuelauerit, dicere modum, quo illud

N sciāt,

## *Caput VII. De Secreto seu Sigillo*

sciat, scilicet, quia vidit illud perpetrari; caueat tamen, ne dicat, se illud scire per Confessionem; quia hoc dicere non poteris sine reuelatione Cōfessionis: Habet enim Sacerdos in casu cognitionē illius facti duplēcē: Alteram, per viam Confessionis, & ex hac notitia nil potest dicere, vt patet: Alteram, per euidentiam facti, vel aliquorum relationem, & ex hac via licitū est, peccati illud ob iustum cauſam manifestare; ita tamen, vt cautēloquatur siue in iudicio, siue extra, ne inde aliqui scandalizētur, & suspicentur illi aliena peccata per Confessionē cognouisse, scientes illum ex officio esse Confessorem.

Ideò, nisi necessitas postulet, silere debent aliena peccata; & si necessitas ea prodere cogat, cauſam & notitiam extra Confessionē habitam reddant.

*Quæſtio  
XXVII.* *Solusne Sacerdos, cui facta est Cōfessio,  
an etiam alij audientes, tenentur  
eam celare?*

*Rēſpōſio.* Non solus Sacerdos, cui facta est Confessio, sed quicunque aliis, qui eam licite, vel illicite audiuit: Ut si quis fortè confiteretur per interpretem; aut si laicus fingit se Sacerdotē esse, aut dolo, seu ex proposito, aut à casu audit Confessionem, quæ Confessio fit, omnes tales tenentur illam celare, sicut & illi, qui alicuius Confessionem inueniunt in scriptis.

PQ.